





IN CAL. IANVARIAS  
anni MD. CIII.

*Ad Magnificum & nobilissimum*

CHRISTIANVM  
DISTELMEIERVM,

ICtum & oratorem CL.<sup>mum</sup>, Do-  
minum in Malsdorff & Radelsleben.

FOPPIVS AEZEMA.



HELMSTADII,  
*In academia IVLIA excudebat*  
Iacobus Lucius.





**V**Idimus, elapsus quid nobis vexerit annus;  
Quidve het hic instans, nobis p̄scire negatur.  
Vota alijs igitur, vel pro se quisq; seorsim,  
Ceu laudata monet nos consuetudo, vouemus.  
Palanteis animos qui cœli ex arce tuetur,  
Ne miseris iteret iusta mortalibus ira,  
Noxia quæ fuerint, & quæ fortasse nocebunt.  
Pectus vt indomitum, prauaq; cupidine cœcum,  
Ambitu & effreno quod habendi flagrat amore:  
Quæq; hinc immoto comitarier ordine certum est,  
Publica communis vel Enyo priua duelli:  
Quæq; illam inuisæ perhibentur obire ministræ,  
Strages sanguinæ, clades Epidemia pestis,  
Et lugenda fames homicida atrocior illis.

Quæ caruit bello tellus? quis terminus orbis  
Non pridem immaduit miserorum sanguine fuso?  
Siue alium suavit dominandi sæua libido  
Non sic demeritum Mauorte laceffere iniquo.  
Seu quos relligio, & stimuli virtutis auitæ,  
Et generosa truci natura tyrannidi ademit,  
Porrigere imperium compellit viuuda palma.  
Seu qua parte quatit violentè barbarus arma;  
Nemo adeo Cereris generum sine vulnere visit.  
Quæ non ora tulit bellorum semina? quam non

Percu-



Perculerit furibunda suo Bellona flagello.  
Nec dominis, quos ipsa Themis, quos insita cuius  
Auctori natura suo parere iubebat,  
Parcere, ad insolitum moliti immanibus ausis.  
Templa, foci, tenuesq; casæ, palatia celsa  
Passim vbi seruili dextra direpta iacerent.  
Credo ego, sic quondam geminatis montibus isse  
Terrai iuuenes, cœli conuexa petentes.  
Quid causæ est igitur? merito quin fulmine mundum  
Iratus feriat pater, humanamq; fatiget  
Vndiq; progeniem exitij morbiq; cohorte.  
Et fieri, gentes dederunt exempla remotæ.  
Quarum alias infanda lues sine cæde peremit:  
Mille animas vbi turmatim prædam vnius vrbis  
Vna luce nimis mors insperata domaret.  
Quantula! sint hominũ corpuscula discite; dum nos  
Solstitiale velut germen mutamur in horas.  
Quin! grauiora alibi duxit momenta doloris  
Imperiosa fames, macies vicinaq; letho.  
Post Cererem, atq; herbas, & post terrestria quæuis,  
Ceui vacui ventris pallenteis cura coëgit,  
Membra aliena edi visum formidine mortis.  
Quidam sustinere infami arentia furca  
Concisim dissecta cadauera frangere morfu.  
Nec pater abstinuit gnatis, miserabile dictu!

In-



Inualidum truncans validus de carne momordit.  
Cœlestis manifesta iræ monimenta! per istos  
Ostensæ populos, nos emendare monentis.  
Cum tamen exactis bis senis mensibus hisce  
Senferit hanc nemo non, quamuis dispare fato.  
Ille animo, hic æger membris, obnoxius alter  
Fortunæ, inuidiæ, metui, mortique suorum.  
Quis caret his? nulli tantum licet esse beato.  
Seu tabulæ, & veteres exornent ære columnas  
Effigies regum; seu stringat aranea telis  
Plebei tuguri congestum cespite tectum.  
Consilium ætherij patris! qui in vota ciendus  
Puro animo, vitijs vt nostris vsq; moueri  
Desistat, facilisq; suis inimica reflectat:  
Et quibus exacto miseris conterruit anno,  
Læta noui ingressis nobis exordia, vertat.  
Hoc tibi, quod faustum, & felix sit, & vtilecunctis,  
Marchiacæ palmare decus telluris, ad omneis  
Qui fortis casus, DISTELMEIERE, paratus;  
Det Deus: vt nouū iter velut hic nouus ordinat ann⁹,  
Si qua tibi exstiterit nocui vis improba fati,  
Perpetua, & princeps clarescat meta bonorum.  
Quò tua te latè florenti gloria curru  
Porrigat, & patriæ æternet rumore secundo.

F I N I S.



Cl 2490


ULB Halle

3


004 936 701











B.I.G.

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



27

INVARIAS

. CIII.

*nobilissimum*

ANVVM

EIERVM,

n CL.<sup>num</sup>, Do-  
& Radefleben.

EZEMA.



AD II,

IA excudebat

cius.

